

/ Dominis et fratribus nostris in Christo fidelibus in Regno Sinarum.

Gaudio magno affecit nos reverendus frater noster P. Nicolaus Tri-  
gautius, qui longissimo itinere ex ultimo Oriente ad nos rediens,  
5 significavit nobis in isto amplissimo regno Sinarum, aperiri coepisse  
ostium fidei Christianae, in qua sola invenitur certa salus aeterna.  
Ad istum nuntium exultavit, tota Romana civitas quae est caput omnium  
regnorum Occidentis: exultavit ipse summus Pontifex Paulus Quintus,  
qui est Pater omnium Regum, et omnium populorum Christianorum, qui  
10 Deum verum agnoscunt, qui regnat in coelo, et in terra: exultavimus  
cum summo Pontifice nos omnes Cardinales et Episcopi, qui summo Pon-  
tifici assistimus, et nobiscum universus Clerus, et populus Christia-  
nus. Dolebamus enim vehementer quod tam longo tempore, tanta multi-  
tudo hominum magno ingenio praeditorum, quanta est in isto vastis-  
15 simo regno Sinarum, ignoraret Deum Creatorem suum, et Filium eius Je-  
sum Christum, qui secundum oracula omnium prophetarum qui fuerunt  
ab initio mundi, dedit semetipsum pro nobis, ut nos aeternae felici-  
tatis faceret esse participes. Diabolus enim qui olim de coelo aob  
superbiam excidit, et factus est princeps tenebrarum, hostis perpe-  
20 tuus generis humani sub praetextu conservationis regni istius, clau-  
serat ostium salutis Praedicatoribus Evangelii. Nunc autem gratia  
Dei illucescere coepit regionibus istis, et ostendere doctrinam  
Evangelicam, non eripere regna terrena; sed conferre coelestia. Ita-  
que: gratulamur vobis hoc magnum bonum, et gaudemus nobis, quod tan-  
25 tos fratres in Christo adepti simus. Sed quia sola fides in Deum  
Patrem et eius Filium non sufficit ad salutem, nisi sobrie, iuste  
et pie vivamus in hoc mundo; ideo exhortamur vos, ut per viam manda-  
torum Dei sine offensione curratis; abstinentes ab omni iniustitia,  
et impuritate, et mendacio, et dolo, et abundantes in omni opere bono,  
30 proficientes in virtutibus sanctis, ac potissimum in confidentia in  
Deum, et caritate sincera in invicem; et siquid molestiae, aut perse-

( cutionis pati vos oportebit propter Deum; gaudete et exultate; quia merces vestra magna erit in Coelis. Haec est enim voluntas Dei Patris nostri ut fides, spes, et caritas nostra per patientiam probetur, tanquam aurum in fornace. Non enim difficile Deo esset de omni tribulatione et angustia nos continuo liberare: sed ideo in hoc tempore Deus permittit suos multa pati, ut gloriosius illos coronet in coelo, et conformes faciat unigenito Filio suo qui nunquam cessavit in hoc mundo bona facere et mala pati, ut nos suo exemplo erudiret; ex quo fiet, ut sicut ille humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propterea exaltavit illum Deus Pater ad thronum gloriae suae, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum; sic et nos si patienter tulerimus persecutiones, et passiones exaltavit Christus et confirmabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae. Non ero in hac epistola prolixior, quia scio fratres meos qui isthic sunt non defuturos in omni instructione et exhortatione. Valet in Christo Jesu Salvatore nostro, et oremus pro invicem, ut salvemur. Romae die 12. mensis Maii 1616. Robertus Cardin. Bellarminus.

10 -Li Rerum memorabilium in regno Sinae gestarum. Litterae annuae Societatis Jesu (Anni M.DC.XX) Antverpiae, 1625, pp. 65-67. *Suit la réponse de Paul néoph. ch.*  
-Archiv. Vat. Doc. Gesuit. 21 copie médiocre. *apud Hier. Versussium*

1 Pauli Sinensis Cardinali Bellarmino. ~~Pequini~~

Pequini . . . . .

Cum summa veneratione suspensus, amplissime Cardinalis, suspicio tuae pietatis amplitudinem, quae vastissimo Oceano terminari, nec  
5 ultimis terrarum spatiis potuit limitari; cuius splendor velut ignis spiritualis huc advolens hoc nostrum Sinense regnum potuit inflammare. Amplitudinis tuae literas multi legimus maxime literatorum